



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

I. De obseruatione priorum Canonum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

C A P I T V L A.

I.

POST damnationem hæresis Arianæ , & fidei sanctæ catholicæ expositionem , hoc sanctum præcipit Concilium , vt quia in nonnullis vel hæresis vel gentilitatis necessitatibus per Hispaniarum ecclesias canonicus prætermissus est ordo , dum & licentia abundaret transgrediendi , & disciplinæ optio negaretur : dumque omnis excessus hæresis fueretur patrocinio , vt *abundantiam mali temperet districcio disciplinæ ; pace ecclesiæ Christi misericordia reparata , omne quod priscorum Canonum auctoritas prohibet , sit resurgente disciplina inhibatum , & agatur omne quod præcipit fieri : maneant in suo vigore Conciliorum omnium constituta , simul & synodicæ sanctorum præsulum Romanorum epistolæ : nullus deinceps ad promerendos honores ecclesiasticos contra *vetita Canonum asperret indignus ; nihil ex hoc fiat , quod sancti patres Spiritu Dei pleni sanxerunt debere non fieri : & qui præsumpserit , seueritate priorum Canonum distringatur.

II.

Pro reuerentia sanctissimæ fidei , & propter corroborandas hominum inualidas mentes , consultu piissimi & gloriosissimi domini nostri Reccaredi regis , sancta constituit Synodus , vt per omnes ecclesias Hispaniæ , vel Gallæciæ , secundum formam orientalium ecclesiarum Concilii Constantinopolitaní , hoc est , centum quinquaginta episcoporum

*abu-
dans
malum
poris,
procul-
fer diffi-
cilio de-
sciplina.
Arma
pace

*Can-
nonis
tuta